

134, 3, 6. X

Q. B. F. F. F. Q. S.

SOLEMNIA

QUIBUS DIE IV. APRILIS HORA X.

IN AULA

GYMNASII REGII CRUCENACENSIS

DIRECTORIS MUNUS AUSPICATURUS EST

INDICIT

C. A. MAURITIUS AXTIUS

DOCTOR PHILOSOPHIAE ET PROFESSOR REGIUS DIRECTOR ANTEA GYMNASII REGII
WETZLARIENSIS.

Oὐτος ἐγὼ ταχυτάτῃ

Pindar. Olymp. IV, 37.



PRAEMISSA EST COMMENTATIONUM PHILOLOGARUM
PARTICULA ALTERA.

GISSAE MDCCCXLII. (1842)

TYPIS G. F. HEYERI patris

TYPogr. ACAD.

qwe

23 (1842)

X. J. E. 1781



In magnis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.

Aurel. Augustin.

His te versibus interea contentu' teneto.

Lucil. ap. Non. IV, 78.

Non dubium esse existimo, quod in Prima¹⁾ harum Com-
mentationum Particula, pag. 8., submonui, quin in huius-
modi dativis, qualis est apud Statium **Silv. IV, 7, 13.** ad
Maximum Junium:

*Quando Te dulci Latio remittent
Dalmatae montes? —,*
caussae eius dativi insint, qui rem aliquam in aliquem
locum moveri aut dirigi significat. Cf. Guil. Weissenb. Gr.
Lat. §. 298. annot. Nam ut Statianus ille locus, ita multa
alia huius generis exempla ethicam et utilitatis aut incom-
modi quandam rationem non obscure preeferunt; quae quum
maxime sit poetica, non mirum est, hanc totam verborum
compositionem maxime poetis placuisse et raram esse apud
scriptores²⁾. Ne Homericis quidem illis: *τοῖσι δ' ἀνέστη,*
similibus, *solus locus indicari mihi videtur³⁾;* quemadmo-
dum Ovidius accepit, qui Met. XIII, 2. sic canit:

*Consedere duces, et vulgi stante corona
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax:
Utque erat impatiens irae, Sigeia torvo
Littora respexit, classemque in littore, vultu.
Intendensque manus, Agimus, pro Juppiter, inquit,
Ante rates caussam et mecum confertur Ulixes. —*

1) Wetzlariae edit. Octobr. 1841. ad indic. solenn., quibus di-
rect. mun. auspicaturus eram. — Vir quidam doctus in Commentar.
Antiq. Stud. Darmst. 1841. Nr. 140. p. 1176., cui quidem, quod
laetor, summa scriptio meae probata fuit, optabile tamen sibi
visum esse dixit, ut inter varios dativos, qui singulis locis cogitari
possent, sine ulla dubitatione dijudicassem. — Quod, puto, saepe
feci; sed ea est et rei et locorum singulorum ratio, ut interdum
fieri non possit.

2) Cf. C. Reisig. Schol. de Gr. Lat. habit. ed. Haas. pag. 661.
§. 367.; ubi adde Suet. Dom. 9. f. — Poetica exempla, quae non
rara sunt, etiam Ianius preebet in Art. Poet. p. 128. — Ratio
horum dativorum plane eadem est, quae illorum, quos attulit et
illustravit idem Ianius in Add. ad pag. 130. §. 4., quamvis contraria
in iis inesse videatur vis per verborum rerumque contextum scilicet.

3) Cf. Part. I. pag. 5., Iliad. VII, 324, 347., alib.

Locus ille, quem ibid. pag. 9. e Tacit. Germ. c. XXXIII. attuli, in memoriam mihi redegit finem eius orationis, quam R. Klotzius quoque et C. F. Supfleus etiam nunc iudicant a Tullio pro Marco Marcello esse habitam; quod vellem sigillatim demonstrassent! Nam ut taceam de rebus et sententiis, etiam dictionis multae offenses post Klotzianam quoque recensionem mihi videntur resedisse; velut illa verba, quibus Cicero orationem perorasse creditur: „Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.“ — Moebius fieri posse opinatur, ut *omnibus rebus* sit dativus et *ornato* absolute dicatur; sed Ciceronianam hanc esse locutionem non comprobavit⁴⁾; quam equidem ne Latinam quidem esse contenderim. Nam nullo modo fieri potest, ut *ornato* non simul ad *omnibus rebus* referamus; quo efficitur, ut *omnibus rebus* quoque pro ablativo habeamus; quem ulti cogitamus, quum integro ac libero animo legimus. Certe Marcus Tullius pro Leg. Manil. §. 70. simili occasione multo peritius orationem composuit: *ut aut praesidia periculis, aut adiumenta honoribus quaeram* (c. XXIV. §. 70.). — Itidem vacillabit oratio, si quis *omnibus rebus* interpretari voluerit: *in omnes partes, omni ratione*. Nam ne satis habeamus, afferre Caes. B. C. I., 2.: *tamen omnibus rebus in eo perseverandum putabat*. —, aut Cic. ad Fam. 6, 9.: *mihi necesse est, eius salutem et fortunas, quibuscumque rebus possim, tueri*. —, hoc impedit, quod non locutio ipsa *omnibus rebus* indiget defensione, sed quod duplex ratio unius ablativi ponitur, qui aliter e voce *conservato*, aliter e voce *ornato* aptus est. — Extrema autem illa: *sic, ut accesserit*, quibus absurdum esse existimet necesse est; nam ita solum intelligi possunt, ut scriptorem dicere voluisse statuamus in hunc fere modum: *maximum cumulum accessisse censem*. —

In Ovidiano exemplo, quod modo commemoravi, erunt fortasse, qui non continuo possint purgare poetam de

4) Idem ne ii quidem fecerunt, qui Tusc. V, 35. §. 102. verba: *signis, tabulis, ludis*, in dativis ducunt. — Wolfiomose- riana rationi obstat credo.

repetita voce *littore* (v. 4.); sed manavit ea ex usu illo utriusque linguae poetis communi, quo simplices nominum rationes, quae vulgo casibus potissimum obliquis pronominum *is* et *autros* indicantur, aut nulla voce, aut eodem substantivo reponendo vel alio cognato nomine substituendo significant. Itaque in *littore* dictum est pro eo, quod in prosa oratione est: *ibidem positam, subductam*. Conferantur A. Dacierius, R. Bentleius, Io. Chr. Iahnius, et Io. C. Orellius, ad Horat. C. III, 11, 18.:

*Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui —,*

ubi *eius* prorsus contra consuetudinem positum esse constat; neque Orellius (in exemplo minore) loci excusandi caussa provocare debebat ad Hor. C. IV, 8, 18., ubi pronomen alia vi est praeditum et minime omitti potuit. Evidem hunc locum corruptum iudico, neque comparari possunt Ovid. Trist. III, 4, 27., Met. VIII, 16., Virg. Aen. I, 413. cet. Etenim hi *emendaturi, si licuisset, erant*⁵⁾; sed Horatius emendavit, perpolivit, lima persecutus est, *caput scabens et vivos unguis rodens*⁶⁾. Huic tale quid accidere non potuit in lyricis praesertim, quod ceteri quoque poetae tam diligenter vitaverunt, ut in tot tantisque carminibus maxime exiguus istorum exemplorum numerus vehementer mirandus esse videatur. Huc accedit, quod lyricum poetam tersum potissimum decet opus etiam in minimis rebus. Hic autem naevus tam est insolens, ut aspectu sentiatur. Considerarintne haec Io. Chr. Iahnius, homo eruditione ingeniique subtilitate insignis, et Io. C. Orellius, singularis exempli philologus et vir, nescio. — Probe cavit Horatius istuc *eius* C. II, 18, 37.:

Tantulum atque Tantali

Genus coercet —;

cui exemplo adde I, 7, 27.:

*Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucri —,
Virgil. Eclog. V, 6.:*

5) Trist. I, 7, 40.

6) Hor. Serm. I, 10, 71.

*Sive antro potius succedimus. Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.*

Aen. I, 325.:

*Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus —,
Propert. III, 3, 3.:*

*Reges, Alba tuos, et regum facta tuorum —,
Ovid. Fast. V, 699.:*

*Abducunt raptam Phoeben Phoebesque sororem —,
Amor. I, 15, 39 — 40.:*

*Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.*

Amor. II, 11, 36.:

Nereidesque Deae, Nereidumque pater.

Art. Am. I, 87.:

Non mihi sunt visae Clio Cliusque sorores —,

Iuvenal. III, 53.:

*Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest.*

Sypos. vel Vom. de Liv. (Wernsd. P. L. M. III. p. 389.,
Antholog. Burm. III, 92., H. Meyer. 534.) v. 25.:

Nec Phoebus sobolesve clara Phoebi —,

Hom. Iliad. IV, 35.:

ώμὸν βεβρώθοις Πρίαμον Πριόμοιό τε παῖδας —,

VI, 449.:

καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐῦμελίω Πριάμοιο —,

VII, 80.:

Τρῶες καὶ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα —,

VII, 165.:

τοῖσι δ' ἐπ' Ἰδομενεὺς, καὶ ὀπάων Ἰδομενῆος —,

VIII, 154.:

ἄλλ' οὐ πείσονται Τρῶες καὶ Δαρδανίωνες,

καὶ Τρώων ἄλοχοι μεγαθύμων ἀσπιστάων —,

Ibid. 453.:

ποὶν πόλεμόν τ' ἴδειν, πολέμοιό τε μέρμερα ἔογα —.

Sophocl. Oed. Col. 121.:

ποῦ κυρεῖ ἐκτόπιος συθείς ὁ πάντων,

ὁ πάντων ἀκορέστατος;

προσπεύθου, λεῦσσε νιν — ,

ex emendatione G. Hermanni, viri summi; quem vide;
vulgo: λεύσσατ' αὐτόν. — Apud Hom. Iliad. VI, 283. :

Τρῶσι δε καὶ Προτάμῳ μεγαλήτορι, τοιό τε παισίν —,
explica : *et talis viri liberis*; cf. IX, 301, 587.

Iliad. XV, 537. :

*τοῦ δέ Μέγης κόρυθος χαλκήρεος ἵπποδασείης
κύμβαχον ἀκρότατον νύξ ἔγχει ὁξυόεντι,
ὅηξε δ' ἀφ' ἵππειον λόφον αὐτοῦ· πᾶς δὲ χαμᾶξε,
κάππεσεν ἐν πονίησι, νέον φοίνικι φαεινός —,
αὐτοῦ, si est pronomen⁷⁾, mirifice languet; equidem par-
ticulam esse putarim, qua poeta saepe ita est usus, ve-
lut Odyss. IV, 703. :*

Ως φάτο· τῆς δ' αὐτοῦ λύτο γούνατα καὶ φίλον ἡτορ —,
Iliad. VIII, 123. :

τοῦ δ' αὐθι λύθη ψυχή τε μένος τε. —,
Ibid. 207. :
αὐτοῦ κ' ἐνθ' ἀκάχοιτο καθήμενος οἷος ἐν Ἰδῃ. — ,

Iliad. IX, 634. :

καὶ ὃ ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ, πολλ' ἀποτίσας. — ,
Ibid. 270. :

βεβλήκει, ὁ μὲν αὐθι πεσὼν ἀπὸ θυμὸν ὄλεσσεν — .
Eodem pertinent haec : Horat. C. III, 19. 22. :

audiat invidus

Dementem strepitum Lycus,

Et vicina seni non habilis Lyco. — ,

C. IV, 8, 24. :

Quid foret Iliae

Mavortisque puer, si taciturnitas

Obstaret meritis invida Romuli? — ,

Virg. Aen. VI, 673. :

coniux ubi pristinus illi

Respondet curis, aequatque Sichaeus amorem — ,
Hom. Iliad. I, 528. :

*Η, καὶ πνανέησιν ἐπ' ὄφρύσιν νεῦσε Κρονιων.
ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερόώσαντο ἀνακτος — ,*

Iliad. VII, 313. :

*Ἄλλ' ὅτε δὴ πλισίησιν ἐν Ατρεΐδαιο γένοντο,
τοῖσι δὲ βοῦν ιέρευσεν ἀναξ ἀνδρῶν Αγαμέμνων — .*

7) I. H. Vossius vertit: Dass der gemaehnete Busch ihm abbrach. — , et sane sunt loci, qui huic quoque interpretationi favent, Iliad. VII, 204, 333, 339, 340, 350. IX, 193, 349. XIII, 2. XVI, 108, 117, 587. cet.

II. VIII, 384—391. :

αὐτὰρ Ἀθηναίη, κούδη Διὸς αἰγιόχοιο, etc.
λάζετο δὲ ἔγχος

βριθὺ, μέγα, στιβαρόν, τῷ δάμνησι στίχας ἀνδρῶν
ἡρώων, τοῖσίν τε ποτέσσεται ὁ βριμοπάτρη. —,

Ibid. 494. :

ἔγχος ἔχ' ἐνδεκάπηχυ· πάροιθε δὲ λάμπετο δουρὸς
αἰχμὴ χαλκείη —.

Sophocl. Trachin. 555. :

ἥν μοι παλαιὸν δῶρον ἀρχαίον ποτὲ

θηρός, λέβητι χαλκέω πενηνταμενόν,

ὁ παῖς εἴ τού δασυστέρνου παρὰ

Νέσσον φθίνοντος ἐπ φόνων ἀνειλόμην —;

quod dictum F. Neuius contendit cum Oed. Col. 675.
sqq.: θεοῦ φυλλάδα — — ἀνήνεμόν — χειμώνων. ἵν ὁ — —
Διόνυσος ἐμβατεύει — .

Rarissimum est hoc totum genus in prosa oratione,
velut Cic. Verrin. Act. II, 5, c. 72. §. 187. : ipsam videre
Cererem, aut effigiem Cereris.

Est, quod Iuvenalis quoque III, 38—40. cum hac
loquendi ratione possit conferri:

quum sint

Quales ex humili magna ad fastigia rerum

Extollit, quoties voluit Fortuna iocari — ;

ubi C. F. Heinrichius annotavit: „Fortuna steht im zweiten Satze, gehört aber schon zu extollit. Durch diese Stellung des Subjectes, die bei keiner neuern Sprache möglich ist, gewinnt die Satzbildung in den alten Sprachen sehr viel.“ — Cf. Hom. Iliad. VII, 186—7., Propert. III, 21. 8.; ubi minime opus est Scaligeri conjectura: *amicta*; satis pingunt siccām: *extr. dorm. tor.* — Tu vero, mi Paldame, reputes velim, facilius posse numerari arenam, quam puellaris ineptiae et morositatis caussas et modos⁸⁾. — Adde Hor. Serm. I, 4, 2.

Facile autem intelligitur, poetas, quibus ita liceret nomina repetere, variare, disiungere, postponere, non solum commode, sed etiam nervose potuisse dicere. In multis huiusmodi exemplis repetitio habet vim quandam

8) Terent. Eunuch. I, 1, 12—28.

anaphorae (velut Hor. C. II, 18, 37., I, 7, 27., Iuvenal. III, 53.); disiungendis autem rebus per se iunctis et ita collocandis, ut altera pronominis vicem videatur praestare, id efficitur, ut pondera sententiarum exaequentur, ut non altera nimium pree altera extenuetur et ut res attributae eleganter illigentur (velut Hom. Iliad. I, 528., Horat. IV, 8, 24., III, 19, 22.). Idem ea verborum structura consequuntur, qua subiectiva pars sententiae posteriorem locum tenet; quod potissimum copiam dat illius cum iis vocibus componendae, in quibus singularis quaedam inest vis, quaeque aut maxime significant eius rei rationem et naturam, de qua preecipue agitur, aut illi oppositae sunt; ut Iuvenalis III, 40. scite *Fortunam* cum ipso *iocandi* verbo coniunxit; quod caput est sententiae; nam *Fortunae* proprium est, ut *ludibria causus edat* (Liv. XXX, 30.); cf. Senec. Epist. I, 74. init.: „Hanc imaginem animo tuo propone, *ludos facere Fortunam* et in hunc mortalium coetum honores, divitias, gratiam excutere“ cet.; Sallust. Cat. 8. init., Liv. II, 56. extr., Horat. C. III, 29, 49. et Iuvenal. ipsius VI, 602—9., quem locum miror ab Heinrichio non esse collatum; Curt. V, 12, 20., ubi vocem *ludibria* Forc. ed. Schneeberg. male explicat: *Streiche, Schlaege.*

Quid illa, quorum agmen dicit hoc Homericum (Il. II, 54.):

Νεστορέη παρὰ νῆι Πυλοιγενέος βασιλῆος —,
nonne ita sunt constructa, ut, quod genus supra duobus enunciatis contineri vidimus, iam in unam sententiam collatum agnoscamus? — Quod vere dici intelliges, quum hos fere finxeris si dis placet Homericos versus:

*Νεστορέαις παρὰ νησίν, ἐν αἷς πλέεν ψυχὴ πελευθα
Τιον εἰς εὔπωλον ἀναξ Πυλίων ἀγερώχων —.*

Eustathius comparavit Il. V, 741.:

Ἐν δέ τε Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου. —;
recte; sed male idem promiscue attulit Sophocl. O. T. 267.:
*τῷ Αβδακείῳ παιδὶ Πολυδώρου τε καὶ
τοῦ πρόσθε Κάδμου, τοῦ πάλαι τὸν Ἀγήνορος —,*
et Antig. 1135. Nam adiectivum pro genitivo substantivi positum esse⁹⁾, ad cetera leve videtur; minime au-

9) Horat. C. 1, 18, 8.: *Centaurea cum Lapithis rixa.*

tem eodem modo dicitur navis *Nestorea regis Pylii*, quo Laius *Labdacius filius Polydori*; nam navis est Nestoris Pylii regis; non item Laius filius Labdaci eiusdam Polydori.

Adde Apollon. Rhod. IV, 1780. :

Εὐβοίης ἔντοσθεν, Οπούντια τάστα Λοκρῶν —,

Virg. Georg. I, 222.:

Cnosiaque¹⁰⁾ ardentis decadat stella coronae —,

II, 66; 181. Aen. VI, 56. X, 230.:

Nos sumus Idaeae sacro de vertice pinus.

Ovid. Trist. V, 3, 42. :

Coniugis in coelo Cressa corona tuae.

Art. Am. II, 140.:

subitus cum Pergama fluctus

Abstulit, et Rhesi cum duce castra suo —.

Ad hanc normam si Ausonium Ephem. I, 21—24. scripsisse velis :

Fors et haec somnum tibi cantilena

Sapphico suadet modulata versu

Lesbiae: — depelle modum quietis

Acer Iambe! — ,

satis exquisitam statuas orationem. Vulgo enim punctum ponitur post *versu*, et *Lesbiae* refertur ad consequentia (*quietis*). — Recte autem Ausonius vocavit Sapphicum metrum *modum quietis*; nam poetria in strophis, quae ab ea denominatae sunt, ubi etiam numeros habet propter trochaicam dipodium temperatores, rebus et dictione est mollis, delicata, querula; in ceteris carminibus ardenter et concitator; quae quidem omnino eius fuit natura. Cf. Hor. C. II, 13, 24., IV, 9, 11., Orell. ad Epist. I, 19, 28., Auson. Idyll. VI, 25.

Ut Ausonius iambum appellavit *acrem*, ita Horatius recte videtur Doeringio suos iambos, quos puellae miserat (C. I, 16, 24.), *celeres* dixisse, i. e. *ira et furore prae-cipitos*; nam id significant *acer* et *celer*, ita ut hoc magis temeritatem, illud cupiditatem et fervorem sonet. Vid. Forc.¹¹⁾ s. vv. *acer* et *celer*, et Horat. Serm. II, 1, 1.:

10) Cf. Orell. ad Hor. C. I, 15, 17., Heyn. ad Aen. I, 115., Osann. Syll. Inscr. p. 66. not. 36.

11) Qui Horat. Ep. I, 18, 89.: *oderunt sedatum celeres explicat:*

*Sunt quibus in satira videor nimis acer et ultra
Legem tendere opus —.*

Comparat Forc. Graecorum δοιμύς et voce *acer* Latinos omnino „usos esse“ docet „ad designandam hominis naturam fervidam et *celeres* ingeniorum motus.“ — Cf. Passov. Lex. s. v. δοιμύς et Antholog. P. VII, 69. Julian. ad Cerber.:

*Αρχίλοχος τέθνηκε· φυλάσσεο θνυὸν ἵαμβων
δοιμύν, πικροχόλου τικτόμενον στόματος. —*

Jure igitur eos interpretes vituperat J. W. Steinerus, iam iam futurus collega coniunctissimus, in Progr. Crucenac. 1841. pag. 24., qui de numerorum *celeritate* cogitarint, quae nihil pertineat ad rem, quum „in festinatione et imprudentia iuvenili delicti quaedam insit excusatio.“ Adde Catull. XXXVI, 5.: *truces vibrare iambos* —, Ovid. Remed. 523.: *iambus pugnax* —, Terent. Maur. de Metr. 2182 — 2187. ad Iambum:

*Sed ipse verus integerque gestiens,
Adusta felle qualis ante carmina
Dabas amarus, impotens ulti tui.*

Vid. Anthol. II, 237., Meyer. I, 224.; ubi epigr. 225, 1. (Anth. Burm. III, 99.) lege:

*Principium vitae est obitus commentatio —,
et 5.:*

*Argentum enim et sodalem perdidit simul —;
enim est oblitteratum syllaba um; versu autem 4. Meyerus
non servare debebat manifestam stribilginem credens, sed
cum Barthio reponere:*

*Pecuniam amico credere est damnum duplex —.
Burmannus v. 5. foedissime pessum dedit sententiam, nec
metrum sanavit, reponens:*

*Amicum et sodalem perdidit simul —.
Redeamus ad iambi indolem et hoc etiam memoremus,
apud Val. Max. V, 3, 1, 3. non male legere nonnullos:
„Quo enim iambo (al.: nimbo), qua procella verborum
impium Sextilii caput obrui meretur?“ — Ceterum non*

„qui impetu quodam omnia agunt.“ — Serm. I, 10, 43. *ducere*
non esse posse *a nendo*, sed *a procudendo* esse intellexit C. Rei-
sigius ex adiecta voce *acer*.

raro iambos etiam a rapiditate laudari hi quoque probabunt loci: Auson. Epist. XXI, 1.:

Iambe Parthis et Cydonum spiculis,

Iambe pinnis alitum velocior, cet. —,

Sidon. Apoll. Epp. p. 226. Sirm.: *ferebatur in iambico citus —,*

Terent. M. I. I.:

Adesto, iambe praepones et tui tenax

Vigoris; adde concitum celer pedem. —.

Sed δῶρον illud ἀρχαίον θηρός, de quo ab Sophoclea Deianira supra vidimus narrari, affert mihi memoriam eorum, quae in Trachin. versu 573. sqq. leguntur, ubi Nessus Deianirae haec suadet:

εὰν γὰρ ἀμφίθρεπτον αἷμα τῶν ἐμῶν
σφαγῶν ἐνέγκῃ χερσίν, ἢ μελαγχόλον
ἔβαψεν ιὸνς θρέμμα Λεοναίας ὕδρας, —;

quae non videntur esse sollicitanda, sed ita interpretanda:

Si cruorem sumseris de vulnere meo, quo Lernaea Hydra venenatas sagittas demersit; i. e. quo Hercules sagittas Hydræ Lernæae veneno imbutas demersit. Videtur enim licuisse poetae id ab Hydra ipsa factum esse dicere, quod Hercules veneno eius usus fecit. Cf. Henr. Steph. Thes. Gr. L. ed. Paris. s. v. βάπτω pag. 112. C., ubi Gætulici memorabile exemplum (quod quidem ad hanc rem non pertinet,) esse praetermissum, Antholog. P. VII, 71., non possum non notare. — Eduardus Wunderus, cuius summa in Sophoclem suum sunt merita, desiderat exempla, quibus confirmetur, θρέμμα Λεοναίας ὕδρας ipsius Hydræ circumlocutionem esse posse, et μελαγχόλον — ιὸν corrigit, θρέμμα autem virus significare vult; sed ipse, opinor, debet exemplo confirmare, θρέμμα Graecis ita possum esse, ut non solum *omne illud, quod vere nutritur aliturque et educatur, veluti est hominum et bestiarum soboles et alumni*, sed etiam alias res significaret. Certe Editores Paris. Steph. unum tantum eiusmodi locum potuerunt afferre¹²⁾, Antiphanis, apud Athen. IV, p. 169. E.:

12) Quod ibidem allatum est, Σελινοῦντος σεμνοῦ θρέμμα χρύσοφρους, cur dissimile sit, satis liquet.

A. Ἀλλος ἐπὶ τούτῳ μέγας

ἥξει τις ἰσοτράπεζος εὐγενής; B. Τίνα

λέγεις; A. Καρύστου θρέμμα, γηγενής, ζέων.

B. Εἴτ' οὐκ ἀν εἴποις; ὑπαγε. A. Κάκκαβον λέγω·
σὺ δ' ἵσως ἀν εἴποις λοπάδ' —,

ubi per *iocum* ollam θρέμμα *Καρύστου* dictam esse manifestum est. Ollam autem per *iocum* dici urbis alumnam sive filiam, nihil habet offensionis; virus belluae serio, habet plurimum. — Ista circumlocutio staret fortasse per analogiam¹³⁾ (cf. Kühn. Gr. Gr. §. 479. d.), si ea opus esset; sed proprie et simpliciter dicta est *Hydra* θρέμμα, quippe quam e Typhone et Echidna natam *educarit* Juno, teste Hesiodo in *Theog.* v. 314.:

Τὸ τρίτον Ὑδρην αὗτις ἔγείνατο λύγος εἰδυῖαν

Λεοντίην, ἦν θρέψε θεὰ λευκωλενος Ἡρη,

Ἀπλητον ποτέονσα βίη Ἡραιληείη. —.

Cf. Herm. Mytholog. I, p. 80., Funkii Lexic. Real. s. v. *Lern. Hydr.* — Θρέμμα autem Λεοντίας ὑδρας possum est, ut apud Plat. de Legg. 7, p. 790. D.: νεογενῆ θρέμματα παῖδων et apud Plut. Sol. c. 7. θρέμματα παλλακῶν; qui loci allati sunt in Henr. Steph. Thesauro ed. Paris. et explicati: *Infantes*, qui recens nati nutriuntur et educantur —, *pellices*, quae aluntur —, παῖδες τρεφόμενοι, παλλακαὶ τρεφόμεναι. Scilicet res tam celebrata erat, ut Sophocles ita *nutritam Hydram* *praecipue* vocare posset *alumnam*, adiecto praesertim Λεοντίας nomine.

Offendit idem Wunderus in plurali μελαγχόλους *ιούς*, quem alienissimum ab hoc loco esse iudicat. Sed, ut taceam, hunc totum usum, quam late patuerit, nondum prorsus esse excussum¹⁴⁾, satis firmo mihi videor comprobare posse argumento, hanc dubitationem levem videri;

13) Neque tamen maledictum esset, quod subdiderunt cum F. Passovio interpres Germanici, ut Vossii, J. J. C. Donnerus et F. Guil. G. Staegerus, *Brut* et *Gezücht* vertentes; cf. S. Electr. 624., ubi Clytaemnestra suam sobolem et alumnam cogitat, quae adversus matrem impudenter et impie se gerat. Item apud Aesch. Sept. 182. probrum inest in solis vocibus οὐκ ἀνασχετά.

14) Plurimam lucem attulit huic grammaticae poeticae loco C. G. Jacobus, vir doctissimus et humanissimus, in Progr. Port. edit. Novembr. 1841.: De usu numeri pluralis apud poetas Latinos.

ipse enim Hyllus apud Senec. Herc. Oet. v. 1468. *sagittis* ab Hercule Nessum transfixum esse testatur:

*Sed non cruentae sceleribus nuptae iaces,
Nec fraude matris: Nessus hos struxit dolos,
Ictus sagittis qui tuis vitam exspuit.* —

Sive igitur plurali numero poetae uti licuit per notationem, quae, quum *ioς* omne missile videatur significasse, deinde tempore et *usu* in hanc vim abisset, ut praeципue eam rem missilem sonaret, quam Latini *sagittam* vocant, quaeque e partibus missilibus continetur, sive reapse censendus est Hercules iterum ac saepius Nessum sagitta petisse, quem non uno ictu corruere vidisset: tantum habeo persuasum, nihil videri esse, quod hunc locum plurali premamus. Apud Homerum, ut res fert, vel maxime est artis et agilitatis *frequentes* mittere sagittas; quod quamquam tum potissimum recte fit, quum tela in turbam hominum mittuntur, tamen etiam, quum unus petitur, tutius esse apparet. Vid. Hom. Il. XI, 387., XV, 472. —

Versu 628. Trach. mihi emendandum videtur: *προσδέγματ'*, *αὐτή γ' ως* cet. — Wunderus ex ipsis Trachiniis afferre potuit v. 50. et quae ad illum locum annotavit. —

Versu 145. *χάροισιν αὐτοῦ* verbis significantur qui iuvenilis aetatis proprii sunt *ἀπειρίας χῶροι* (cf. v. 151.), et *τοιοῖςδε* pariter ad antecedentia pertinet atque ad consequentia; ipsos enim *ἀπειρίας χώρους* dicit et eos, ubi, *ως θυμοφθορεῖ* Deianira, nondum *ἔξεμαθε παθοῦσα*. Quae particula *καὶ* adiuncta sunt, epexegesin esse verborum *νῦν δ' ἀπειρος εἰ*, manifestum est. Ut Sophocles *τοιοῖςδε*, ita Hermesianax Leont. v. 40. posuit *τοιάδ'*:

*πληχθεὶς δ' Ερμόβιον τὸν ἀεὶ βαρὺν ἥδε Φερένλην
ἔχθρὸν μισήσας¹⁵⁾ τοιάδ' ἔπειψεν ἔπη* — ,
i. e. odio consentanea.

Apud Critiam (Athen. X, p. 432.):

*Καὶ τὸδ' ἔθος Σπάρτη μελέτημά τε κείμενόν ἐστιν,
πίνειν τὴν αὐτὴν οἰνοφόρον κύλικα,*

15) Cf. Ovid. Amor. I, 1, 24; 27. Haec participia explana-ta nobis sunt in Commentar. Philol. Darmstad. 1839. Nr. 145. pag. 1165. sqq.

μηδ' ἀποδωρεῖσθαι προπόσεις ὄνομαστὶ λέγοντα,
μηδ' ἐπὶ δεξιερὸν χεῖρα κυκλοῦν θίασον — ¹⁶⁾ ,
τὴν αὐτὴν sane corruptum videtur et legendum π. τ. αὐτοῦ
γ' vel αὐτῶν aut τὴν αὐτοῦ πίνειν. Sed cf. Franc. Spitz-
nerum, τὸν μακαρίτην, de Vers. Her. p. 133. et ibid. pag.
289. sqq. F. T. Friedemannum, virum litteratissimum.

Critiae nomen occasionem praebet laudandae egre-
gliae emendationis, qua Joannes Luzacus (in annotat. ad
Orat. de Socrat. Civ. iam anno post Chr. nat. 1796.
habitam) in Cic. de Orat. III, 34. §. 139.: *Quid Cri-
tias? quid Alcibiades? civitatibus suis quidem non boni,
sed certe docti atque eloquentes, nonne Socratis erant
disputationibus eruditii?* — , ineptissimum mendum sustu-
lit; quam tantum abest, ut interpretes Marco Tullio re-
stituerint, ut adhuc a nemine eorum videatur commemo-
rata; corruptela quamvis sit aperta, correctio autem
promta; ut me quidem tam obesae naris fuisse summopere
pigeat, ut, quum hunc locum legerem, non extemplo su-
bolerem. — Scin' iam, quid reposuerit? — nempe *civi-
bus!* — Cf. §. 137. —

Quamquam plura etiam suppetunt, quae de Trachi-
niis proferre possimus, tamen, quum nunc alium finem
dicendi facere cogitemus, unum solum locum adiiciamus.
Versu enim 1017. *Πρέσβυς* sic adhortatur Hyllum iuve-
nem ad patrem Herculem sublevandum:

ὦ παῖ τοῦδ' ἀνδρός, τούργον τόδε μεῖζον ἀνήκει,
ἢ πατ' ἐμὰν ϕώμαν· σὺ δὲ σύλλαβε σοί τι γὰρ ὄμμα
ἐμπλεον ἢ δι' ἐμοῦ σώζειν. — ,
cui respondet Hyllus:

ψαίω μὲν ἔγωγε. — ;

atque equidem iis assentiri non possum, qui ὄμμα ἐμπλεον
non ferendum putant; nam his verbis poeta praeclare
circumscripsit iuventutis vigorem, quandoquidem iuvenum
oculi reapse *pleni* sunt, i. e. non collapsi sive *cavati*, ut
ait Lucret. VI, 1192., [ubi vid. Lambin. ¹⁷⁾] non *iacen-
tes*, ut Claudianus vocat oculos Bell. Gild. 22., ubi al.

¹⁶⁾ Commemorat hos versus Guil. Ad. Beckerus in Gallo, II. p. 241., sed non examinat.

¹⁷⁾ Cf. Progr. Gymn. Confl. edit. a T. N. Kleinio, 1830.
pag. 13.

aeque bene *latentes*; nam tales quoque sunt senum et aegrotorum oculi. Ut apud Sophoclem non ipsis *plenis oculis* Hylli *sublevari* potest Hercules, ita apud Theocrit. 14, 70. et apud Horat. Epod. XIII, 4. non ipsis γόνασι χλωροῖς ποεῖται τι, nec ipsis *genibus virentibus senectus obducta fronte solvitur.*

Jam redeo ad Stat. Silv. IV, 7., ut carmen, a quo hic libellus ductus est, non sine maiore aliquo meo munere (modo Musae faveant et Apollo!) a me abire sinam.

A versu 1—12. haec leguntur:

Jam diu lato spatiata campo

Fortis herois, Erato, labores

Differ atque ingens opus in minores

contrahe gyros.

5. *Tuque, regnator Lyricae cohortis,*

Da novi paullum mihi iura plectri,

Si tuas cantu Latio sacravi,

Pindare, Thebas.

Maximo¹⁸⁾ carmen tenuare tento:

10. *Nunc ab intonsa capienda myrto*

Serta, nunc maior sitis, et bibendus

Castior amnis. —.

Statius, qui se in numerum epicorum poetarum refert (v. 5—8.) et Achilleide componenda adhuc occupatus est (v. 2—3.), brevius carmen nunc vult componere (v. 1. 3. 4.), Maximo Junio filium natum gratulaturus *lyricis* versibus (5—9.); quae non sunt eius partes, ut epicci poetae; iccirco *plectrum* vocat *novum* et *paullum* eius *iura* sibi dari cupit.

Sequitur igitur, non eo nunc esse animo Statium, ut maius statuat lyrico carmini, quod scripturus est, pretium, quam epico generi, in quo versatus est et habitat; neque sibi dissentit, quum v. 9. *carmen*, inquit, *tenuare tento*. Nam *tenuare carmen* est, ut Forcellinus explicat, *tenui stilo deducere et de rebus levioribus canere*, ut *fit in lyricis, in elegis et quum amatoria aut bucolica tractantur et huiusmodi*. *Propert. 3, 1. 5.*: Dicite, quo pariter

18) Max. Junio amico.

carmen tenuastis in antro (sc. Callim. et Philet.). *Stat. Silv.* 4, 7, 2.: Fortis heroos, Erato, labores Differ, etc. Maximo *carmen tenuare tento*. — Haec Forcellinus; adde Ovid. Amor. I, 1, 1.:

Arma gravi numero violentaque bella parabam

Edere, materia conveniente modis.

Par erat inferior versus : risisse Cupido

Dicitur atque unum surripuisse pedem. —

v. 18.:

Cum bene surrexit versu nova pagina primo,

Attenuat nervos protinus ille meos.

Nec mihi materia est numeris levioribus apta,

Aut puer, aut longas comta puella comas.

Questus eram; pharetra cum protinus ille soluta

Legit in exitium spicula facta meum;

Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum:

Quodque canas, vates, accipe, dixit, opus.

Me miserum! certas habuit puer ille sagittas:

Uror et in vacuo pectore regnat Amor.

Sex mihi surgat opus numeris; in quinque residat;

Ferrea cum vestris bella valete modis.

Cingere littorea flaventia tempora myrto,

Musa, per undenos emodulanda pedes. —

Item non se deserit Statius, quum simili conditione *a myrto capienda censem sarta*. Nam, ut ait Forcellinus, „myrto coronabantur in conviviis, in nuptiis: poetae etiam, praesertim amatorii, myrteas coronas amabant.“ — Idem affert Hor. C. I, 4, 9. 38, 5., Ovid. Art. Am. II, 733., Claud. de Magnet. 28., Virg. Eclog. VII, 61., Georg. II, 63,: et s. v. *myrteus*: Tibull. I, 3, 66., Mart. III, 82, (12.) — Adde Ovid. Amor. I, 15, 37., Fast. IV, 15., Pervig. Ven. 6. — Ex his perspicitur, sane eos poetas, qui *leve carmen meditarentur, myrto coronatos esse*, sed non propterea, quod *myrti breviora essent folia*, quae Chr. Wernsdorfii permira est opinio. Recte idem laureas coronas sumsisse narrat, qui *graviora canerent*. Cf. Horat. C. III, 30, 16., IV, 2, 9., Virg. Eclog. VIII, 13., Claud. CI, 7—9. Nam laurus Apollini fuit sacra, *poetarum deo, et spiritus acris* (Hor. Serm. I, 4, 46.) auctori (Hor. C. IV, 6, 29—32.); vid. C. II, 7, 19.,

Brouckh. ad Tib. II, 5, 63. — *Etiam triumphis dicatam fuisse constat laurum; et bellicos victores potissimum epici celebrant poetae.* Contra in ovationibus quidam myrto se coronabant; vid. Forc. s. vv. *laurus* et *myrtus*. Qui igitur minus instinctu divino fundunt carmina, quidam *ovantes* videntur.

Quicquid autem Statius versibus 11—12. adiecit, hoc iam manifestum est, non fieri potuisse, ut eiusmodi essent verba, quibus poetae *divinorem mentem et os magna sonaturum* (Horat. Serm. I, 4, 44.), argumenti granditatem, operis amplitudinem, rerum copiam et maiorem artem, ne plura, poeticae virtutis ditionisque venae exsuperantium et maius ingenii theatrum solent significare. Atqui significavit Statius, si *maiorem nunc esse sitim* dixit *et castiorem annem bibendum*. Cf. Silv. I, 2, 259.:

Et sociam doctis haurimus ab annibus undam —,
4, 25.:

licet enthea vatis

*Excludat Pimplea sitim, nec conscientia detur
Pirene: largos potior mihi gurges in haustus,
Qui rapitur de fonte tuo. —,*

II, 2, 36.:

*Non mihi si cunctos Helicon indulgeat annes
Et superet Pimplea sitim, largeque volantis
Ungula se det equi, reseretque arcana pudicos
Phemonoe fontes, vel quos meus, auspice Phoebo,
Altius immersa turbavit Pollius urna:
Innumeras valeam species cultusque locorum
Pieriis aequare modis. — ,*

Achill., I, 8.:

*Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phoebe, novos. — ,*

Lucret. I, 413.:

*Usque adeo largos haustus de fontibꝫ magnis
Lingua meo suavis diti de pectore fundet,
Ut verear, ne tarda prius per membra senectus
Serpit et in nobis vitai claustra resolvat,
Quam tibi de quavis una re versibus omnis
Argumentorum sit copia missa per aureis. — ,*

Propert. III, 3, 1.:

*Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
Tantum operis nervis hiscere posse meis,
Parvaque tam magnis admiram fontibus ora
Unde pater sitiens Ennius ante bibit, cet. —,*

v. 13.:

*Quum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti,
Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua praescriptos erecta est pagina gyros?
Non est ingenii cymba gravanda tui. —,*

v. 37.:

*E quarum numero me contigit una dearum,
Ut reor a facie Calliopea fuit:
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus. cet. —,*

v. 51.:

*Talia Calliope; lymphisque a fonte petitis
Ora Philetea nostra rigavit aqua. — ,*

Petron. V, 21—22.:

*His animum succinge bonis: sic flumine largo
Plenus Pierio defundes pectore verba. — ,*

Márt. XII, 11, 2. ¹⁹⁾:

*Nam quis ab Aonio largius amne bibit? — ,
Ovid. ex P. IV, 2, 47.: od audiorum s. inuenientur
At tu, cui bibitur felicius Aonius fons,
Utiliter studium, quod tibi cedit, ama. — ,*

Pers. Prolog. 1.:

Nec fonte labra proluui caballino ²⁰⁾. — ,

¹⁹⁾ Apud eundem IV, 31, 5. Vix stabit aversus fons sororum.

²⁰⁾ H. e. ut Forc. explicat, Virg. Aen. I, 739. „probe made-
feci.“ Errat F. Plumius ad Pers. I. l.; modestia inest in sola
negatione *nec*, contrarium in verbo *proluendi*.

Horat. Ep. I, 3, 10—11.:

Pindarici fontis qui non expalluit haustus,

Fastidire lacus et rivos ausus apertos? —,

ubi vide Orell.; Iuvenal. VII, 58.:

Impatiens, cupidus silvarum aptusque bibendis

Fontibus Aonidum. — ,

Lucil. Fragm. Sat. ed. Dous. pag. 427.:

Quantum haurire animus Musarum e fontib' gestit — .

Fulgent. I. Prooem. p. 608. Stav.:

Thespiades, Hippocrene, quas spumanti gurgite

Irrorat loquacis nimbi, tinctus haustu musico — ,

Claudian. XXXI, 1.:

Quidquid Castalio de gurgite Phoebus anhelat — .

Quae exempla etiam hoc probant, non praeter usum possum esse *amnem*, ut Riglero meo visum est²¹⁾, qui quae est viri eruditissimi sollertia et perspicacitas, quantum interpretando hic locus iuvari potest, videtur praestitisse; cuius haec sunt verba: „Marklandus pro *nunc* legi maluit *nec*, ut *nec* — et sibi responderent. At hoc modo carmen non ita esset commendatum ei, ad quem Statius scripsit. Imo impetum animi maiorem, quem lyricalia poesis postulat, *siti maiori* comparat. *Castiorem* autem amnem, quem, ni fallor, melius fontem dixisset, vocat propterea, quod id poesis genus antiquissimum est idem sanctissimum.“ Progr. Clivens. 1829. pag. 14. — Videntur ista, quod pace dixerim capitibus dilectissimi, magis ex ea ratione esse disputata, qua recentiores, quam ex ea, qua veteres poetica genera aestimare consuerunt. Nemo opinor, veterum lyricali poetae *maiorem impetum* concesserit, quam epico, et *sanctius* poesis genus. Quanto maiores habentur a veteribus bellicae res, quam urbanae (Cic. de Off. I, c. 18. c. 22.), publicae, quam privatae, quanto actio maior, quam meditatio et consilium, tanto grandior et altior epica poesis, quam lyricalia. Neque iniuria; nam *virtutis omnis laus in agendo consistit*²²⁾, et quae maxime sunt poeticae artis, iusta dispositio to-

21) Cf. Gifan. ad Lucret. I, 413.

22) Cic. de N. D. I, 40, 110.: *virtus actuosa est.*

tius carminis et partium convenientia in epico opere, ut magni circuitus, difficillime servantur²³⁾). Cf. quae C. E. Schubarthus in eo libro disseruit, quo, quae de Homero eiusque aetate senserit, exposuit, pag. 26. Hunc quidem, quod Quintiliani iudicium fuit, (X, 46.)²⁴⁾ *nemo in magnis sublimitate superavit.* In Pindaro quidem idem praedicat (§. 61.) *spiritus magnificentiam.* Nimirum Homerus fertur more amnis, Pindarus torrentis.

Sed utcunque haec res est, ex exemplis, quae con-
gessimus, et ex iis, quae antea explanavimus, satis apparet, nec lyrico poetae propriam illam effrenationem animi quasi impotentis, aut *verborum devolvendorum* no-
vitatem et audaciam, aut *numeros lege solutos*, a veteribus poetis *maioris sitis* et nescio cuius *castioris annis* nomine praecipue esse significata, nec Papinum (ut si-
leam de myrto) nunc videri posse ita dicere, ut aut omnino lyricum poetam antecellere velit epico mentis incitatione et motu, vel rerum maiestate et gravitate, aut hoc carmen solemne, quod ipse nunc scripturus est, praestare Achilleidi, et maiorem opus esse animi inflammationem ad illud canendum, quam ad memoriam eorum versibus persequendam, quae Pelei filius gessit. — Cf. Propert. II, 1. 10, 25—26.:

Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor. —
ubi elegos suos vel Hesiodo inferiores dicit, qui *raro assurgit, cuique palma datur in illo medio genere dicendi* (Quintil. X, 1, 52.). Adde Ovid. Art. Am. I, 27. Virg. Ecl. VI, 1—5. — I. H. Vossius ad Virg. l. l. v. 64. „Auch bei Properz II, 10, 25., inquit, ist der Permessus ein Bild schwaecherer Lieder, die noch nicht zu den hoehern Quellen emporstrebten.“ — Servius ad Virg. Ecl. X, 12.: „Callimachus Aganippen fontem esse dicit Permessi fluminis.“ — Propertianam distinctionem ab aliis poetis non esse servatam, manifestum est. —

Verissime igitur correxit I. Marklandus: *nec maior sitis.* Sed rem non existimo transactam etiam. Nam

23) Propert. II, 1. 14. : *longas condere Iliadas.*

24) Egregie de hoc libro nuper commentatus est F. Osannus in Annot. crit. in Quint. libr. X. Partic. I, Gissae 1841.

castus est *καθαρός*, *άγνωτος*, *purus*, *innocens*, *integer*, *sanctus*; et plerumque dicitur de hominibus ac de mente; sed tamen res quoque ita vocantur, velut (quos locos Forc. attulit) Cic. Rabir. perd. 4.: *castam concionem*, *sanctum senatum servari*, Philipp. XIII, 4.: *res familiaris cum ampla, tum casta a crurore civili*, de Leg. II, 18.: *non satis castum donum deo*, de Har. Respons. 13.: *castissimos ludos omni flagitio polluere*, de Inv. II, 39.: *praemia virtutis sancta et casta esse oportet, neque ea aut cum improbis communicari aut in mediocribus hominibus pervulgari*. — Itaque necessario aut videtur reponendum pro et. Sed hoc modo nimium abiecerisset Statius lyricam poesin et carmen, quod meditabatur. Nam *maior sitis* maxime ad ambitum epicis carminis referri potest; *castior* sive *sanctior*, *augustior*, minus in *mediocribus* poetis *pervulgatus amnis* tangit materiam scribendi, et sane inurbanitati simillimus est. Ergo haec emendatio et interpretatio placere non potest. — Wernsdorfius „*nunc maior sitis*“, inquit, „quae repente et uno haustu velit sedari. Sed fateor hoc satis coactum esse, optimumque videri, si cum Marklando legamus: *nec maior sitis et bib.*, quasi dixisset: nec opus est maiori siti et modicus haustus sufficiet. Nam *castior amnis* est minor et moderatior portio fontis Castalii, quam Auson. Mos. 444. (453.) *tenue libamen* Musae dicit. Haec sibi possunt poetae, qui brevius carmen meditantur, sicuti qui longum, totos saepe fontes Aonios. Apposite Martial, VIII, 70.:

*Cum siccare sacram largo Permessida posset
Ore, verecundam maluit esse sitim.*

Cf. Auson. Mos. v. 446. — Castum Latinis, ut modestum et adstrictum moribus, ita et modicum mensura dici arbitror; sicut castigare est coercere et intra modum continere. De quo vide Gronov. Diatr. p. 146. et Drakenb. ad Sil. XII, 356.“ —

Quod Wernsdorfius *repente et uno haustu sitim* Statiannam *sedari velle* narrat, nihil est; nam usus adversatur; per eundem non stat *moderatior* ista fontis *Castalii portio*; quamquam negari non potest, *castum* non multum abesse a *modesto* et cum *verecundo* componi, velut Ho-

rat. Epist. ad Pis. v. 207.; sed vid. ad hunc locum I. C. Orellium. — *Castum flumen est apud Claudian. XXIV, 260.*, et apud Caton. Dir. 90. *casti fontes*; sed alia horum locorum ratio. — ²⁵⁾.

Cur poeta *intonsam myrtum* esse velit, tacet Wendorfius. Mihi quidem non siccirco *intonsam* videtur possuisse, quoniam rebus sacris et festis omnino integra quaeque et intacta conveniunt, sed ut epicam potissimum coronam a se ad illud tempus nexam esse significaret. Nam ea sententia Statii non esse potuit, quae Lucretii IV, 1—10.:

*Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: iuvat integros accedere fonteis,
Atque haurire: iuvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musae. —,*
et Horatii C. I, 26, 6—12.:

*O, quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimplea dulcis! Nil sine te mei
Prosunt honores; hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro,
Teque tuasque decet sorores. —*

(ubi vid. Orell.);

C. III, 30, 10—14.:

*Dicar, qua violens obstrepit Aufidus cet.,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. — ,*

et Propert. III, 1, 1.:

*Callimachi manes et Coi sacra Philetæ,
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos,
Itala per Graios orgia ferre choros.*

²⁵⁾ Forcellinus: „*Castus pro suavi et iucundo. Varr. in Parmen.* Demittis acres pectore curas cantu castaque poesi. Ita Non. interpretatur.“ — ; de quo genere cf. *Symbols meas paedagog.* Wetzl. 1838. p. 121.

*Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicunque moratur in armis;
Exactus tenui pumice versus eat.* —,

de quo loco vide Paldamum meum pag. 269. Contra C. I, 8, 7. Horatius *olivam* mihi videtur vocasse *undique discerptam* (vulgo *dec.*), quia iam plurimi in hoc argumento versati erant.

Quo animo quum Statius esse non possit et sua potius *lyrica pericula* videatur spectasse, sunt fortasse, qui, quo *intonsam myrtum*, eodem *castiorem amnem* pertinere velint, quippe quem ipse minus attigerit, ex quo ipse minus hauserit. Sed profecto is, qui quoddam poesis genus tractat, non idem contaminat, polluit; quum plurimum, agitat, miscet sive *fontem turbat*; cuius ipsius inhumanitatis ego solus culpam praestare nolim; neque Papinius partem periculi in se recipere dubitavit; vid. Silv. II, 2, 40. Atqui in *casto* non inest vis simplex *illibati* et *intacti*, non *mixti*, non *commoti*, sed *puri*. Quae cum ita sint, equidem Statium scripsisse iudico:

*Maximo carmen tenuare tento:
Nunc ab intonsa capienda myrto
Serta, nec maior sitis aut bibendus*

Vastior amnis. —;

cf. huius carm. v. 3., ubi Achilleida vocat *ingens opus*; et quos supra attulimus locos, velut Silv. I, 4, 27., ubi *gurges Pirenes*. Eiusmodi superlationem neutiquam mirabuntur, qui Statium et istam aetatem noverint.

De cetero non possum silentio praeterire, Wernsdorffum Statii *carmen tenuare* falso contulisse cum Horatiano *magna modis tenuare parvis* (C. III, 3, extr.); nam *magna* est vulgaris, quod dicunt, obiecti accusativus et quae *magna* sunt *tenuando* redduntur minora, quod C. I, 6, 11—12. est *laudes Caesaris et Agrippae culpa deterere ingeni*; sed apud Statium *carmen ipsum* fit *tenuando*; dictum igitur est e figura etymologica²⁶⁾ quam iam supra ad Trachin. 628. strictim attigimus. Adde sis, quae ad Vestrit. dixi pag. 57. et 100., Orell. ad

²⁶⁾ Vid. A. Lobeck. ad Aiac. v. 42.

Hor. C. IV, 7, 3. 9, 19—21., quibus confer Horat. C, I, 33, 16., III, 24, 59—64.:

*Cum periura patris fides
Consortem socium fallat et hospitem
Indignoque pecuniam
Heredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae; tamen*

Curtae nescio quid semper abest rei. —, Propert. II, 1, 45. 3, 24., Ovid. Trist. IV, 10, 49., Iuvenal. VI, 636., Weissenb. Gr. Lat. §. 276.

Illum Horatianum locum etiam propterea exscripsi, quod extrema verba summopere interpretatione indigere cognovi. Falluntur enim, sicut ego aestimo, qui *nescio quid* e possessoris opinione dictum volunt. Quum non aperte indicatum sit, cui aliquid desit, ut C. III, 16, 42., poeta autem locutionem *nescio quid* posuerit, hoc ipsius iudicium habeamus necesse est; nempe *pungit aliquid, quum illa unde habeant, recordantur* (Cic. Tusc. V, 35.), et animi tranquillitas deest *sic festinanti, cui semper locupletior obstat* (Serm. I, 1, 113.); cf. C. II, 2, 13—16., Vestrit. pag. 62. — *Curtae* est prolepsis, de qua ad Vestrit. egi pag. 54. 62. 83. — Ad vocem *rei* Orellius annotavit: *bisyllabum*, et ad C. III, 16, 25. *rei dissyllabum*; — quod non satis capio; nam *rei* plerumque est bisyllabum producta ē littera, velut Lucret. VI, 918.:

Ipsius rei rationem reddere possis —, et alibi apud eundem. — Forcellinus „Genitivus“, inquit. *rei* primam corripit, ut *spei, fidei*, Horat. Od. 3, 16, 25. Adde Charis. I, 26. et Prisc. 8. f. p. 780.“ — Rariores sunt loci ubi monosyllabum est, velut Lucret. IV, 883., Lucil. apud. Lact. VI, 6.:

Virtus, quaerendae finem rei scire modumque —; illud non satis certum est exemplum.

Item dubium, utrum produixerit, an corripuerit Phaedr. Fab. Prolog. II, 11.:

Impendas curam quam rei domesticae —. IV, 4, 10. 11. 21. 25, 31. corripuit:

Ut est vulgatus ordo narratae rei. —

Ad v. 62. Orellius etiam afferre potuit Virg. Georg. I, 146.:

O labor omnia vincit, VI. D. coll.
Improbus et duris urgens in rebus egestas —;
ubi errat Heynius cum lexicographis, qui ima summis
miscent; nam Virgiliano loco *improbus* vox non est as-
sumta. —

Neque v. 54.:

Nescit equo rudit

Haerere ingenuus puer —,

(lubet enim etiam alias quasdam huius carminis explica-
tiones percensere) Horatium proprie dixisse debebat
non annotare Orellius, Doeringio autem afferendum fuit
Ciceronis dictum pro Reg. Deiot. c. 10. §. 28. —

Versu 45.:

Vel nos in Capitolium,

Quo clamor vocat et turba faventium,

Vel nos in mare proximum

Gemmas et lapides, aurum et inutile,

Summi materiem mali,

Mittamus, scelerum si bene poenitet. —,

velim scire, qui sint isti *faventes* et quibus poeta hoc
consilium dare audeat? — Etenim si divites et homines
modice locupletes cum pauperibus et misera plebecula iis
sunt animis, quibus tale quid possit suaderi et probari,
mores populi minime sint corrupti necesse est, et tota
haec medicina supervacanea videtur. —

Aurum *inutile* non recte interpretantur per *λιτότητα*
exitibile, perniciosum; plane nulla est caussa, cur de
hac figura cogitemus; imo *inutile aurum* oppositum est
utili metalli generi, velut est ferrum. Item accipe An-
tholog. Burm. T. I. pag. 513.:

Heu nimia in nimios hominum petulantia census,

Caecus inutilium quo ruit ardor opum? —;
quem locum attulit Mitscherlichius neque intellexit; *inuti-*
les sunt opes, quoniam humana natura modico victu et
cultu contenta est, ut usus magnarum opum esse non
possit; *etenim desideriis ista condiuntur omnia* (Cic.
Tusc. V, 34, §. 97.). — Versu 44.:

Magnum pauperies opprobrium iubet

Quid vis et facere et pati,

Virtutisque viam deserit arduae? —

non assentior Orellio, poetam *resumpto finito verbo efficaciorem fecisse sententiam iudicanti*. Horatius non potuit scribere *deserere*, si cavere vellet, ne idem bis dixisse videretur per supervacaneam epexegesin; nam hoc spectavit, ut aureae mediocritati *virtutis viam propriam esse submoneret*; vid. Vestrit. p. 22. et 72—73. —

Versu 35—40. :

*Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt, si neque servidis
Pars inclusa caloribus
Mundi nec Boreae finitimum latus
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt; —,*

duratas solo nives interpretantur: quae nunquam resolvuntur, ut sit in Helvetiae alpibus glacialibus. Sed hoc in verbis ipsis minime inest. Ubi tandem istuc *nunquam?* — Nimirum suam Italiam spectavit poeta, ubi nives fere, simul atque deciderunt, discutiuntur; quod non solum in Alpibus et sub ipso axe septentrionali, sed etiam in locis temperatoriis, in ipsis Galliae Cisalpinae aequis et planis locis, aliter fit; nam in his quoque sunt *nives solo duratae aliquamdiu scilicet*; cf. Hor. C. I, 9, 1—4. Sed hoc ipsum Italicis ac Latinis hominibus mirum quantum est²⁷⁾ molestum et triste. Neque tamen video, cur hae nives *mercatorem abigant*, quum in hoc genere facilior sit incessus, quam in putri. Senec. Quaest. Nat. IV, 5. *Minus, inquit, algere dicunt pedes eorum, qui fixam et duram nivem calcant, quam eorum, qui teneram et labefactam;* quem locum attulit Ric. Bentleius; qui tamen aliud intendit. Evidem subvereor, ne Horatius pro *solo* inepto, languido et inutili, scripserit *polo*; praesertim quum „*inclusae servidis caloribus parti mundi*“ male contrarium sit „*finitimum Boreae latus*“; nam hoc non magis significat²⁸⁾ *Scythiam Septemque trionem*, quem horrifer invasit *Boreas* (Ovid. Met. I, 64.), quam *duratae solo nives*; de *polo* autem apud

27) Cf. Martialis ineptias IV, 3. IX, 102, 18—20.

28) Multo elegantius has coeli regiones descriptsit c. I, 22, 17—22.

Forcell. haec leguntur: „*Polus* nomen stellae in ipso boreali polo sitae, in cauda minoris Ursae, quam nos dicimus *Polarstern*. Vitruv. 9, 6. f.: „*Stella, quae dicitur polus.*“ —

Versu 30—32.:

quatenus, heu nefas,

Virtutem incolumem odimus,

Sublatam ex oculis quaerimus invidi. — ²⁹⁾,

certissima est Antonii Derooyii emendatio: *invidis*. Falluntur enim, qui *invidi* ad „totam sententiam pertinere“ posse opinantur; nam quum *quaerunt* homines *virtutem*, non sunt *invidi*, neque *quaerere* est invidiae, sed *odisse*; imo illud melioris est naturae et non penitus offirmatae, quae certe necessitate et inopia et qualicunque caussa commoveatur, ut beneficia virorum virtute praeditorum grate videatur interpretari. Sane poeta cogitat invidos homines, sed in eos, quibuscum vivimus, non in eos, quos *quaerimus* ³⁰⁾. Prorsus igitur fieri non potuit, ut Horatius *invidi* vocem ad *totam sententiam* referret, probe autem *oculos* vocavit *invidos*; nam non simpliciter hominum animos notat invidos, sed quatenus iis invidere solent, quos vident. Nam, ut ipse in Epist. II, 1, 10—14. testatur:

Diram qui contudit Hydram,

Notaque fatali portenta labore subegit,

Comperit invidiam supremo fine domari.

Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes

Infra se positas; extinctus amabitur idem. —,

et Lucret. III, 74.:

Consimili ratione ab eodem saepe timore

Macerat invidia: ante oculos illum esse potentem,

Illum adspectari claroque incedere honore;

Ipsi se in tenebris volvi coenoque queruntur. —,

29) De virgula, quam Wakef. posuit post *quaerimus*, cf. quae annotavi ad Vestrit. pag. 42.

30) Quum iam in eo esset, ut F. H. Bothius ad veritatem prope accederet, argutari maluit. — Vid. D. Lambinum.

et Ovid. Amor. I, 15, 39—42.: *Pascitur in vivis Livor: post fata quiescit,*

Cum suus ex merito quemque tuetur honos. —, ex Pont. III, 4, 73.: *Scripta placent a morte fere: quia laedere*

vivos

Livor et iniusto carpere dente solet. —

Phaedr. Fab. III, 9.: *Vulgare amici nomen, sed rara est fides.*

Quum parvas aedes sibi fundasset Socrates,
Cuius non fugio mortem, si famam assequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvat cinis,
Ex populo sic nescio quis, ut fieri solet:

Quaeso, tam angustam talis vir ponis domum? —
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam! —,

Stat. Theb. XII, 818. de ipsa Thebaide sua:

Mox tibi si quis adhuc praetendit nubila livor,
Occidet et meriti post me referentur honores.

Martial. I, 2.: *Hic est, quem legis, ille quem requiris,*

Toto notus in orbe Martialis
Argutis Epigrammaton libellis:
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viventi decus atque sentienti,
Rari post cineres habent poetae.

III, 95, 7.: *Ore legor multo notumque per oppida nomen*

Non exspectato dat mihi fama rogo.

V, 13, 3.: *Sed toto legor orbe frequens, et dicitur: Hic est!*

Quodque cinis paucis, hoc mihi vita de dit. —

C. F. Sympos. vel Voman. de Livore (Anthol. III, 92., Wernsdorf. P. L. M. III. p. 389.) v. 8.: *Sudat frigidus intuens³¹⁾ quod odit.*

Effundit mala lingua virus atrum,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat ossa. —;

31) Egregie Germani: *Schelsucht.* — Cic. Tusc. III, 9.: „quod verbum (invid.) ductum est a nimis *intuendo* fortunam alterius.“ —

ubi H. Meyerus (Antholog. I. pag. 188. epr. 534.) „An“, inquit, „Sudat lividus?“ — At ita sudaret *Livor lividus?* — quamquam non satis intelligitur, Meyerus homines lividos omnino sudare velit, an livido humore sudare. — Sed tota dubitatio nulla videtur; cf. Sapph. ad puell. amat.:

Καδδὸς ἰδρὼς ψύχρος χέεται, τρόμος δὲ

Πᾶσαν ἀγρεῖ, γλωροτέρα δὲ ποίας

Ἐμπί, cet. — ,

Val. Aedit. apud Gell. XVIII, 9. (Anthol. Meyer. I, 28.):

Dicere quom conor curam tibi, Pamphila, cordis,

Quid mi abs te quaeram, verba labris abeunt;

Per pectus miserum manat subito mihi sudor:

Sic tacitus, subitus, duplo ideo pereo. —

Homines invidi aequi sunt aegroti atque amantes (cf. Terent. Andr. I, 2, 22., Heaut. I, 1, 48.), aegroti autem *sudant frigidi*. — Sed ne oratio longius ad alia aberret, adde Aeschyl. Agam. v. 832.:

Παύροις γὰρ ἀνδρῶν ἔστι συγγενὲς τόδε,

φίλον τὸν εὐτυχοῦντ’ ἄνευ φθόνου σέβειν.

δύσφρων γὰρ ίός παρδίαν προσήμενος

ἄχθος διπλοίζει τῷ πεπαμένῳ νόσον.

τοῖς τ’ αὐτὸς αὐτοῦ πήμασιν βαρύνεται

καὶ τὸν θυραῖον ὅλβον εἰςορῶν στένει. — ,

et Senec. Epist. 79. f. „Gloria umbra virtutis est: etiam invitox comitabitur. Sed quemadmodum aliquando umbra antecedit, aliquando sequitur: ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se praebet, aliquando in averso est, *maiorque quo senior, ubi invidia secessit.*“

Atque hoc modo ii quoque pronuntiarunt hanc sententiam, quos Orellius attulit, ut id ipsum dicant, viventibus invideri, mortuos laudibus extolli, Martial. V, 10., Menand. (in Bach. Mimn. p. 52., Br. Gnom. p. 101. Mimn. VII.), Vellei. II, 92.; Orellius autem quum hos produxit testes, suis ipse videtur offecisse rationibus ³²⁾.

32) „Quin verissime existimavit Bentleius in Praefatione ad Horatium sua, saepe certiore coniecturam esse, quae ratione atque sententiarum luce argumentorumque necessitate cogitur, quam si quae in libris parum examinata usu et consuetudine traduntur.“ Carol. Reisig. Praefat. Oed. Col. p. XXIV.

Praeterea illud etiam est reputandum, optimum quemque hominem, ne Catonibus quidem Velleianis exceptis, *omnibus* illis *humanis vitiis* si dis placet *immunibus*³³⁾, peccare et per errores labi alteri saepe molestissimos, velut per immodicam sui aestimationem. Addendum eodem est, quod vetera cognita sunt, recentia ignorantur; quod veteribus sumus assueti, recentia animos novitate confundunt³⁴⁾; quod praesentia per se satis videntur tuta et curata; praeterita per se neglecta et destituta. Denique confer Evang. Matth. 13, 54—57. — Locus hic latus; ut in pauca conferam, χούνος εὐμαρής θεός (Sophocl. Electr. v. 179.), ὅς δὴ δοκεῖ τὰ πολλὰ καλῶς βασανίζειν (Plat. Symp. c. X, p. 184.), et διάπειρά τοι βροτῶν ἔλεγχος (Pindar. Ol. IV, 30.),³⁵⁾ mors autem ac digressus et discessus ea sunt vi et natura, ut facile placent et placentur. Quippe mortui aut divini quidam videntur, aut ipsa morte nescio quomodo prae vivis aerumnosi, descendentes autem morituris similes. Praeterea mortui et absentis hominis vitia non laedunt, et quod fere aut nulla aut tenuis eorum est memoria, maxima virtutum, id ipsum vel imprimis humanitatis esse conscientiae dixerim communemque vicem pensantis, et maxime mortalium ingenio in laude ponendum. Quin imo tantum abest, ut, quum *virtutem ex oculis sublatam quaerimus*, etiamnunc prava aliqua animi affectione in mentibus nostris reposita videatur necesse sit, ut fieri possit, ut omnium virtutum regina nos impellat, caritas ipsa, cui nihil satis, ut Schilleri *ministro ex pueris regiis*. Egregie hanc rem depinxit Aemilius Devrientius in *Cano Capitulo* (Gubitz. Annal. Germ. Fabul. 1839.):

— 33) Vell. Pat. II, 35.

34) Horat. Epist. II, 20. sqq.

35) Horat. c. IV, 3, 14.:

Romae principis urbium

Dignatur soboles inter amabiles

Vatum ponere me choros,

Et iam dente minus mordeor invido. — ;

cf. quae modo attuli e Martial. I, 2. III, 95. V, 13.

*Wer darf wohl sagen, dass er recht geliebt,
 Wenn einer von den Seinen still und bleich
 Vor ihm im Sarge liegt? — Schlaegt nicht alsdann
 Im Stillen jeder an die eigne Brust und spricht
 Im Herzen: O Du lieber, heilger Todter,
 Ich haette dich wohl besser lieben sollen!
 Ich haette manche schwere Stunde dir
 Ersparen, manche gute schaffen koennen.
 O kaemest Du doch wieder, lieber Todter,
 Wie wollt' ich besser Dich und heisser lieben.
 So sprechen wir. Und ach, mein lieber Herr,
 Kaem' er zurück, wir machtens doch nicht besser. —.*

Adde Senec. ad Marc. c. 16.: „Haec quidem natura mortalium est, ut nihil magis placeat, quam quod amissum est.“ — Vers. 17—20.:

Illic matre parentibus

Privignis mulier temperat innocens,

Nec dotata regit virum

Coniux, nec nitido fidit adultero. —,

*vir non simpliciter maritum significat, sed hominem, qui sexu mas est et vir esse debet moribus. Itaque dotata regit virum coniux est oxymoron e tectoribus illis, ut IV, 2, 11.: numerisque fertur lege solutis (cf. C. T. Zumpt. ad Cic. de Off. II, 8, 8.). Nam recte dixit Wernsdorfius ad Vestrit. I, 4. (P. L. M. III. pag. 353.) in *viro gravitatis notionem proprietas inesse*³⁶⁾, nec tulit *mobiles viros*. — Istuc *fidit* nemo adhuc interpretum explanavit, neque unquam enodate explicatum iri censeo: videlicet *brevis esse laboravit* Horatius; *obscurus factus est*. — Mitscherlichius *non imperiosam esse narrat erga maritum adulteri fiducia*. — Falso, si quid video; nam enunciatorum ea est ratio, ut sententia utriusque pro absoluta quadam habenda sit. Deinde pessime ita adiecisset poeta epitheton *nitido*; in nitore enim non est praesidium, nec in formositate, ut Orellius explicuit *nitido*; quod quidem perperam factum videtur. Nam C. II, 12, 19. *nitidae virgines*, quas attulit idem Orellius, sunt comtae et ornatae; hoc loco *ni-**

36) Non contra est in iis locis, quales apud Martial. III, 70, 1—2. 73, 4. 91, 5.; ex his quoque illud argutulum pellucere subsenties; cf. X, 69.

tidus adulter est homo pumicatus, bellus, barba et coma nitidus, de capsula totus, ut Paris Carm. I, 15, 14; 19.

Cum huiusmodi igitur homuncione non exercet stuprum Getica marita et hanc ipsam rem voci *fidendi* videtur poeta subiecisse. Sed profecto, quae *fidere adultero* dicitur, ea non solum adulterare dicitur; imo simul nescio quid faciat aut patiatur necesse est; quod utinam addidisset Flaccus! — nanc enim mille generum licet cogitare.

Orellius, „Adeo est impudens,“ inquit, „ut adulteri auxilio utatur etiam adversus maritum et adversus leges.“ — Sed, Hercules, tantum non omnes, quas vocant, categoriae frustra rogant: Quid? Ubi? Cur? Quomodo? Quando? ³⁷⁾ — Poetas res decet expingere, exornare, illuminare, non lingua haesitantes significare aut mussare. Nempe scriptores optimi ii sunt, in quibus *plura nitent*, et Horatius vehementissime sudavit in *deducendo ad Italos modos Aeolio carmine*; neque sine multo labore ei licuit fieri *numeroso* (Serm. I, 10, 71., Ovid. Trist. IV, 10, 49.). Non pauci sunt loci, ubi quamvis peritus et navus nodum expedire non potuit. Si ipsa verba Horatii, non praeiudicatas virorum doctorum opiniones spectamus, hoc unum videri potest dixisse, minime ita pellici Geticam coniugem ad stupra facienda, ut adulteri cultu et fuco capiatur, neque sic affectam mulierculam, quae moecho inepto non propter solam libidinem, sed etiam cum quadam probitatis fiducia se credat; quod quidem certum videtur; etiamsi largiri possimus, apposito *nitido* non tantam vim esse tribuendam, et poetam hoc nomine omnino adulterorum mores, speciem habitumque voluisse significare. Verum enim vero quod fiduciam a muliere in moecho collocari dicit, ipse crimen adulterae videtur elevare; quod tamen non vult; nam *ita magis corrupta illa* videtur, levis, credula, quam libidinosa. —

37) Quintil. V, 10, 32.

Sed iam subsistendum est, ne me et ipsum nescio
quis Phoebus increpet:

Cur tua praescriptos erecta est pagina gyros? — ,
et ad eam rem veniendum, cuius rei caussa, quem-
admodum a patribus traditum est, hunc libellum con-
scripsi et foras dedi; in quo si non nihil praecipitatum
videatur, facile aequum hominem condonaturum mihi
esse confido, quum apud animum proposuerit, *iudicis*
officium esse, ut res, ita tempora rerum, quaerere;
nec *carminibus solis secessum scribentis et otia opus*
esse; litteram autem, quaecunque sit toto sibi lecta
libello, esse mihi sollicitae tempore factam viae, et
scribentem mediis me quoque ab Adria quodam visum
*esse aquis*³⁸). Qua enim mente putas unum mortalem
et patremfamilias posse φιλολογεῖν, qui eodem tempore
simul debeat Gymnasium regere, cetera muneric officia
exsequi, ad magistratus referre, adolescentes pue-
rosque docere, a schola et magistris divertere cupien-
tium cognitionem et scientiam optimarum artium ten-
tare, testimonia scribere, orationes muneric tum de-
ponendi, tum adeundi caussa habendas meditari, res
acceptas tradere, auctionem constituere, sarcinas
colligere, cum supellectilis vectore pacisci, rhedarium
conducere, consilia profectionis primo vere faciundae

• 38) Trist. I, 1, 37. sqq. 11, 1. sqq.

et rei familiaris ab integro condenda, agitare, dissensus acerbitates animo praecipientem et pariter in futura atque in praesentia intentum? — Placuit enim summorum collegio virorum, quibus Regis Maiestas curam rei scholasticae mandavit, Crucenacensis Gymnasii gubernationem ad me deferre; ego vero non dubitavi grato animo accipere, quod liberaliter offerebatur. Cuius muneric auspicandi caussa sollemnem habiturus sum orationem et Supremum Numen precaturus, ut his *orsis prosperos det successus*. Quocirca Crucenaci, urbis fortunatissimae et amoenissimae, atque propinquae regionis cives, sacerdotes summe venerandos, magistratus gravissimos, quotquot praeterea his locis in quocunque honoris ac dignitatis gradu constituti humanitatis studiis et honestis artibus favent, ea, qua decet, observantia invito, ut ad horam in Gymnasii Regii auditorio maiore convenire et sua frequentia hunc diem festum velint ornare et concelebrare. Q. D. B. V.

Scripsimus Wetzlariae d. XVI. mens. Mart.
MDCCCXLII.

et rei famili-
cessus acer-
futura atque
summorum
curam rei
Gymnasii g-
non dubitav-
offerebatur.
lennem habi-
men precatu-
Quocirca Cr
nissimae , at
summe vene-
quot praeter-
tatis gradu-
artibus fave-
ad horam in-
nire et sua fr-
et concelebra-

Scripsit
MDCCCXLII

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale



itare , dis-
pariter in
lacuit enim
s **Maiestas**
cenacensis
ego vero
liberaliter
caussa so-
memum Nu-
successus.
et amoë-
sacerdotes
nos , quot-
s ac digni-
t honestis
invito , ut
re **conve-**
int ornare
ns. Mart.

